

verfum parum se exemplo suo adstringit. Eum hic inter *Ambrosii* Opuscula interceptum esse, fortassis in caussa est Tractatus ille spurius de eodem argumento, quem et Codices *mss.* puta *Vatic. Mediol. Medic.* et horum auctoritate Editiones antiquiores *Ambrosii*, v. g. *Romana* coepta 1579. et ad eam expressae, ut *Parisiensis* 1661. T. V. col. 553. perperam *Ambrosii ad Palladium* inscribere, unde fieri potuit, ut Librarius noster in titulo praemisso *Commonitorium Palladii* rō *Palladii* quasi dativo casu, seu *ad Palladium* intellexeret. Ceterum *Pseudambrosius* iste etiam apud *Bissaeum* cit. p. 57. praesto est.

X. fol. 262. p. 2. *Ambrosius de lapsu virginis Susanne*. Omissa illa periodo: *Puto levius esse crimen &c.* incipit: *Quid taces anima, quid cogitationibus estuas &c.* Tributum olim etiam *Hieronymo* Opusculum *Vallarsius* in T. XI. ad col. 180. rejecit. *Mauriani* tamen *Ambrosium* maluerit, ut habes edit. *suprac.* T. II. col. 305. Rationibus eorum expensis ob stili maxime discrepantiam *Vallarsius* illud *Niceae* Civitatis *Romatianae* seu *Romaniciae*, quam quidam *Aquilejiam* volunt, seu *Romesianae* vel *Remisanae* in *Moestia* Episcopo adjudicat, fultus *Gennadii* c. 22. testimonio, qui *Niceam* hunc tradit *Libellum ad lapsam Virginem* edidisse. Exemplar nostrum mendosum, neque integrum est; exit enim in verba: *dummodo nec illas penas eterni ignis incurrerent.* Ultima igitur II. *Capita*, five in

Corruptorem Invectio, et *ad Lapsam Consolatio* desunt.

Ad conveſtiendum Codicem ferviunt Membranae mutilae, quibus continentur Literae executoriales *Petri* Episcopi *Eleſten.* pro *Augustino Tirgarth* a *Martino* V. pro beneficiis ecclesiasticis in Dioec. *Patav.* et alia, cujus nomen abſectum est, commendato. Datae sunt a. 1425. *Martini* octavo.

CCCLII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3090 XII. Folior. 101. 4. maj. non una manu, eleganter tamen scriptus, rubricis distinctus, et olim *sanctae Marie in Pomgartenberge* Ord. *Cist.* in super. *Austria* continet frequentia: I. praemisso Indice *Incipiunt quaestiones LXV. Orosii & totidem Responſa S. Augustini.* Initium: *Licet multi et probatissimi uiri diuerso quidem stilo & non diuersa fide &c.* Finis: *Nam qui preeſſe festinant, quidam patrum eliganter expressit, ſciat se non esse episcopum, qui preeſſe desiderat, non prodeſſe.* Atque vel solus hic finis Lectorem docere potest, non esse *Augustinum*, qui se ipsum ita citare ac laudare possit; est enim haec *Augustini* ſententia L. XIX. *de Civ. Dei* c. 19. Unde et *Mauriani* *Quaestiones* istas ad *Append.* T. VI. col. 7. ablegavere.

II. fol. 19. *Incipit liber quaestionum S. Augustini episcopi.* In *Append.* T. III. col. 41. inscribuntur *Veteris et Novi Testamenti*, quae divisio etiam nobis ad fol. 41. p.

2. observata est. Ineunt omiffa Quaestione: *Quid est Deus?* ab Responfo: *Deus est, quod nulla attingit opinio. Plus enim est, quam quiquid dici poterit aut cogitari* &c. et procurrunnt usque ad fol. 69. ubi legas: *Explicit liber questionum XCIV. S. Augustini episcopi.* et continuo

III. fol. 69. Incipit liber eiusdem de questionibus XXI. et praemisso earum Indice Quaestio I. *Quid sit, ut maledictus dicatur, qui non reliquerit semen in israel.* &c. Resp. *Quoniam aliter, quam dictum erat, intelligi ceperat* &c. Quaestio haec in Editis est XVII. de *Vetere Testamento.* Itaque vides in Codice nequaquam custodi-

ri ordinem et divisionem, quam *Mauriani* observaverunt. Habent enim illi praeter jam memoratas *Quaestiones V. et N. Testamenti* a col. 89. novam Seriem *Quaestionum Ex utroque mixtim*, quam Codex ignorat, ejusque Quaestiones passim cum aliis confundit. Postrema ei est *De Libro Genesis*, quae in Editis col. 101. legitur, et multas alias post se habet *Augustino* non magis dignas, quam sint omnes ceterae.

Codicem antice Fragmentum membraneum tegit Historiae Evangelicae in rhythmos redactae eleganter 2. columnis exaratum, cujus en specimen:

*Amen dico omnibus, nullus demonstratus
Est maior, a femina dicitur qui natus,
Johanne, quo dominus fertur baptizatus.
Filius sed virginis maior est probatus. &c.*

CCCLIII.

U. 91 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 144. 4. a diversis manibus conscriptus, rubricis distinctus et a. 1540. ab *Job. Fabro* Ep. nostro additus suo ad *D. Nicolaum* Literis studentium Contubernio e sequentibus Opusculis confarcinatus est: I. *Incipit prologus Libri dialogorum Beati Augustini Episcopi percunctante Orosio presbitero. Testibus Maurianis* T. VI. *Append. col. 7.* Codex unus *Vatic.* eodem modo inscribitur. Prologus iste init: *Licet multi doctissimi et probatissimi viri* &c. Prima vero *Orosii* sic dicti Quaestio: *In primis que-*

ro a te. Vtrum deus trinitas sit &c. Responfiones partim certe ex *Augustino*, partim vero ex aliis depromptae sunt, quos vide *L. cit.* in *Monito* praevio. Quaestiones LXV. sunt, et in Codice, ut in Editis, finiunt.

II. fol. 26. *Formula*, ut e calce praeoccupo, *boneste vite secundum beatum Jeronimum.* Incipit: *Petis a me mi frater carissime quod nunquam et nusquam* &c. *Monita* opportuna quidem, sed tam parum *Hieronimi*, ut ne quidem *Bernardi*, cujus T. V. edit. *Maur. col. 794.* prostant.

III. fol. 29. *Epistola*, ut rursus in calce, *Beati Bernardi ad quendam*